

AD ERUDITOS LECTORES.

Nuper celebrabant Ordinis Praemonstratensis alumni octavum centenarium foundationis sui Instituti. In epistola quam ad Abbatem Generalem pro tempore existentem mittere dignatus est, laetus recordabatur Summus Pontifex Benedictus XV, recondendae memoriae, quantum olim floruerit congregatio a sancto Norberto fundata, necnon gaudebat hunc Ordinem " tanta vel longinquitate vel varietate temporum adeo non consenuisse, ut viriditatem quandam habere videatur (1). "

Novam siquidem vitam, incipiente nono centenario a sua fundatione haurire videtur Ordo Praemonstratensis, extendens iterum, sicut temporibus Urbani IV " palmites suos a mari usque ad mare (2). "

Non tamen ad futura se vertunt auctores praesentis operis, sed ad praeterita, nimiae oblivioni tradita; nec intendunt apologiam sui Instituti conficere, sed, unice prae oculis habentes objectivam veritatem, e pulvere saeculorum suscitare cupiunt non spernendam, ut arbitrantur, paginam historiae ecclesiasticae, ac plurima ignota documenta ad Ordinem Praemonstratensem pertinentia.

Per octo ergo saecula, variis in adjunctis fortunae vel infortunii, modo " splendore virtutum refulgens et maxime illius scientiae dono praeutilans quae illuminat animam et cibo reficit refec-tionis aeternae " (3), modo obnubilato nitore et a sui Fundatoris proposito nonnihil devians, semper tamen viros conspicuos et utiles animarum pastores in sinu suo complectens, floruit Ordo Praemonstratensis in Ecclesia.

Recogitanti autem quot extiterint abbatiae vel prioratus Nor-

(1) Epistola Benedicti Pp. XV ad R. P. D. Norbertum Schachinger, canonicorum Regularium Praemonstratensium Abbatem Generalem, 4 Februarii 1920. — *Acta Apostolicae Sedis*, t. XII, [1920], p. 61.

(2) Bulla *In eminenti*, 11 Martii, 1262. J. Lepaige, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, p. 685-686. Parisiis, 1633. Erronee indicat Lepaige annum 1261).

(3) Bulla Bonifacii VIII *Exultamus*, 1295. J. Lepaige, *o. c.*, p. 692.

bertinae religionis, jam ab incunabilis Ordinis (1), quantaque in variis regionibus bona possederint ac intenso labore fructificaverint : consideranti insuper Norbertinos non solae cœnobiticae vitae se exercuisse, sed, ex voluntate sui Fundatoris, annuente et approbante Sancta Sede (2), amplexos esse vitam canonicam, ministerio animarum deditam, cujus praecipua manifestatio sensim crevit per administrationem ac creationem parochiarum multarum ; non ignoranti insuper influxum episcoporum, abbatum et aliorum dignitate vel scientia conspicuorum hujus Ordinis alumnorum, in ipsam vitam politicam ac socialem sui temporis, apparebit non solum in re religiosa, liturgica et ascetica, sed et œconomico, scientifico, parochiali, et vel politico aspectu, Ordinem Praemonstratensem haud parum evolutioni societatis christianae contulisse.

Jam vero, diffitendum non est historiam hujus religiosae familiae valde paucis apertam esse et multa in archivis monasteriorum et parochiarum recondita et abscondita quiescere documenta, quae utiliter in lucem ederentur et quorum publicatione nonnihil ditarentur fontes historiae ecclesiasticae.

Inter opera periodica a Norbertinis hunc in finem edita, mentione dignum est illud quod ediderunt Patres Ferigoletenses, sub titulo *La Cour d'honneur de Marie* (3), in quo piis elucubrationibus miscebantur inquisitiones sat solido et scientifico argumento ductae, de historia Ordinis, sed hoc opus anno 1864 inceptum, post 29 annos desiit.

Idem dicendum est de alio opere periodico, a canonicis Paracensibus edito : *Bibliothèque norbertine*, ab anno 1899 ad annum 1914 (4).

(1) Historiographus sancti Bernardi, de Ordinis Praemonstratensis, tam intime connexi cum familia Cisterciensi, exordio loquens, haec habet : "La fécondité du nouvel Ordre fut prodigieuse ; en moins de vingt ans, il donna au monde plus de cent monastères, tant d'hommes que de femmes, et un chroniqueur [*Herimannus Tornacensis*] s'écrit que depuis les Apôtres, on n'a pas vu un apostolat aussi fructueux que celui de Norbert". E. Vacandard, *Vie de saint Bernard*, 4^e édit., t. I, p. 200. Paris, 1910. — Inferius, loquitur idem auctor de progressu Ordinis Cisterciensis "accroissement si prodigieux, dont la congrégation de Prémontré offre seule l'analogue". *Ibid.*, t. II, p. 426.

(2) Vide Bullas Confirmationis Ordinis anni 1124 et anni 1126, apud J. Lepaige, o. c., p. 390 et 392.

(3) *La Cour d'Honneur de Marie*, Revue mensuelle... publiée par les RR. PP. Prémontrés de la primitive Observance du monastère de l'Immaculée Conception Saint-Michel. Frigolet (Tarascon). Annis 1864-1866 typis mandabatur Valentiae ; annis 1867-1892, Avenione.

(4) *Bibliothèque norbertine*. Lovanii 1899-1904. Dein mutatus est titulus in :

Sed longe superavit suo scientifico apparatu omnes alias Norbertinas publicationes, laudandum periodicum a confratribus ejusdem abbatae editum: *Analectes de l'Ordre de Prémontré* (1). Dolendum est finem huic operi impositum fuisse, sicut et praecedenti, propter calamitates belli.

Ultimis hisce annis, in votis Capitulorum Ordinis erat institutio alicujus commissionis, cujus membra ex variis assumerentur canonici, ad colligenda et edenda documenta ad historiam Ordinis pertinentia (2).

Huic voto obtemperantes, convenerunt aliqui rei historicae cultores atque eorum proposito favens, animum eis addidit Illustrissimus Dominus Abbas Generalis, ad omnes abbates et superiores Ordinis Praemonstratensis hanc mittens circularem epistolam:

"Propositum quod aliquot dilecti Ordinis nostri alumni, collatis inter se consiliis, pro suo erga Ordinem studio ceperunt, non potuimus non vehementer approbare; imo libentissimo animo et cum applausu illi adsentimus. Hac enim nostra aetate, qua studia historica tam universe tamque impense coluntur et florent, decet sane ut antiquus Ordo Praemonstratensium, qui tam late per Europam, in praeteritis potissimum saeculis diffusus fuit, quique per continuas suas relationes tum religiosas, tum politicas, tum oeconomicas, cum potestate ecclesiastica et civili, patrimonium ditissimum sibi comparavit documentorum, quae historiam tam propriam quam universalem illustrare sunt nata, domesticum habeat repertorium, quo haec in publicum emittantur.

"Per plures annos huic necessitati meritisime providerunt *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, cura abbatae Parcensis evulgata, ast infaustissimum bellum huic publicationi finem imposuit ejusque resumptionem infeliciter praepedivit.

"Copia erit in dicto novo periodico etiam edendi studia et elucubrationes historicas, quae nostris diebus a sodalibus Ordinis vel ab exteris de nostro Ordine conscribuntur. Opusculum itaque hoc trimestriale fodina erit et pro nostratibus et pro historiae cultoribus, ex qua tam antiquam historiam quam modernam actionem

Revue de l'Ordre de Prémontré et de ses missions. — "Bibliothèque norbertine". Lovanii, 1905-1914.

(1) *Analectes de l'Ordre de Prémontré*. Bruxelles, Misch et Thron. 1905-1914.

(2) Inter alia, capitulum Provinciale circariae Brabantiae, celebratum in abbazia Postellensi anno 1911.

Ordinis nostri noscere valeant, huncque plurimi aestimare discant. Quapropter alumnos Ordinis nostri, qui idonei sunt ad huic operi collaborandum, rogamus ut suum libenter praestent concursus; alios vero hortamur, ut sua saltem subnotatione fautores operis sese praebeant, ejusque fructibus stabiliter spargendis subveniant.

"Datum in abbatia Averbodiensi, 11 Decembris 1923.

(S.) "Gummarus CRETS

"Abbas generalis Ordinis Praemonstratensis."

Praeter eruditos confratres qui, in Ordine Praemonstratensi, variis in abbatibus archivarum curae praeficiuntur, aliquot praeclari viri, in re historica versati, nostro proposito faventes, suam sponderunt collaborationem, quam gratissimo animo excepimus.

Quoniam autem impossibile visum fuit ex omnibus etiam disitis domibus Ordinis, membra commissionis assumere, ut commode possint ad omnia ordinanda convocari, sequentes Ordinis S. Norberti sodales ab Illustrissimo Domino Praemonstratensi constituti sunt in membra dictae Commissionis, cui cura committitur propositum periodicum edendi et ad quam mittenda sunt quaecumque spectant hujus historici operis publicationem.

Praeses : Rmus Dnus Hugo LAMY, Ethicarum et historicarum scientiarum Doctor, socius Regiae Academiae Archeologiae Belgii, abbas Tongerloensis et Vicarius Ill. Dni Generalis in circaria Brabantiae.

Membra : Rmus Dnus Quirinus NOLS, S. Theologiae Doctor, abbas Parcensis et Visitator Capituli generalis in circaria Brabantiae.

R. D. Julius EVERS, Philosophiae ac S. Theologiae Doctor, ac Juris canonici Baccalaureus, necnon in schola Vaticana paleographus et tabularius laureatus, lector Philosophiae et Theologiae dogmaticae specialis in abbatia Averbodiensi.

R. D. Ambrosius ERENS, Ethicarum et historicarum scientiarum licentiat, archivarius et lector Historiae ecclesiasticae ac Archeologiae in abbatia Tongerloensi.

R. D. Placidus LEFEVRE, Ethicarum et historicarum scientiarum Doctor, in schola Bruxellensi paleographus et tabularius laureatus, professor in Universitate catholica Lovaniensi.

R. D. Hugo HEYMAN, Historicarum scientiarum Doctor, archivarius, lector Philosophiae, Patrologiae ac Historiae ecclesiasticae, in abbatia Bernensi (Heeswijk, Hollandia).

Secretarius : R. D. Emilius VALVEKENS, Bibliothecarius et archivista, ac Philosophiae lector in abbatia Averbodiensi.

Hujus Commissionis institutionem approbavit Capitulum generale Ordinis Praemonstratensis, mense Augusto nuper elapso celebratum, ac ejus propositum valde laudavit et apud omnes Ordinis sodales commendavit (1).

Analecta Praemonstratensia quater in anno prodibunt, tertio quoque mense. Singuli fasciculi constabunt circiter 160 paginis. Materia autem sequenti ordine distribuetur :

I. *Articuli et studia* circa historiam Ordinis Praemonstratensis.

II. *Miscellanea*, in quibus continebuntur articuli minoris extensionis ac variae informationes circa fontes historiae norbertinae.

III. *Chronicon* vitam religiosam et scientificam Ordinis collustrans.

IV. *Recensiones librorum* historicorum ad res Praemonstratenses directe vel indirecte se referentium.

V. *Publicatio textuum antiquorum*. In editione horum textuum adhibebitur distincta paginatio, pro unaquaque publicatione per diversos fasciculos continuata, ita ut, expleta textus editione, volumen redigi possit, juxta morem olim adhibitum in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*.

VI. Semel in anno, bibliographia completa omnium quae de Ordine Praemonstratensi tractant vel a sodalibus Ordinis publicantur.

Lingua usalis erit lingua latina. Attamen, articuli et commentatio textuum, sicut et variae informationes ad *Chronicon* pertinentes, conscribi possunt lingua qualibet vernacula, quae characteribus latinis in conscriptione utatur.

Adjuvante Deo, sub patrocinio B. Mariae Virginis, Matris Ordinis Praemonstratensis, et SS. Patrum Augustini et Norberti, ac de collaboratorum, nomen dantium et lectorum benevolo animo confidentes, primum praesentamus novi periodici fasciculum.

H. LAMY

(1) Protocollum Capituli Generalis s., c. ac exempti Ordinis Can. Reg. Praem. celebrati in Canonia Teplensi, in Cechoslovacica, 20, 21, 22 et 23 Augusti 1924, sessio 6a.